

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio LIIII: In M. Antonium Philippica XII.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

ueteranorum, sed importunissimorum hostium cupio quam
 acerbissimum dolorem inurere. quamquam, P. C. quousque
 dicemus sententias ueteranorum arbitratur? quod eorum tā-
 tum fastidium est, quae tanta arrogantia, ut ad arbitrium
 eorum imperatores etiam deligamus? ego autem (dicendum
 est enim, P. C. quod sentio) non tam ueteranos intuen-
 dos nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italia, quid
 nouae legiones ad liberandam patriam paratissimae, quid
 cuncta Italia de uestra grauitate sentiat: nihil enim semper
 floret: aetas succedit aetati: diu legiones Caesaris uiguerunt,
 nunc uigent Pansa, uigent Hircij, uigent Caesaris filij, ui-
 gent Planci: uincunt numero, uincunt aetatibus: nimirum
 etiam auctoritate uincunt. id enim bellum gerunt, quod ab
 omnibus gentibus comprobatur. Itaque his promissa pra-
 emia sunt: illis persoluta. fruantur his illi: persoluantur his,
 quae spondimus. id enim deos immortales spero aequissi-
 mum iudicare. Quae cum ita sint, eam, quam dixi senten-
 tiam, et obis, P. C. censo comprobendam. P. 239.



IN M. ANTONIUM
 PHILIPPICA XII.

ORATIO LIIII.



ET SI minime decere uidetur, P. C. falli, deci-
 pi, errare etiam, cui uos maximis saepe de re-
 bus assentiamini: consolor me tamen, quonia
 uobiscum pariter, & una cum sapientissimo
 consule erraui. Nam, cum duo consulares spem honestae pa-
 tris nobis attulisset, quod erat familiares M. Antonij, quod

domestici, nosse aliquod eius uulnus, quod nobis ignotum
 esset uidebantur. apud alterum uxor, liberi; alter quotidie
 literas mittere, accipere, aperte fauere Antonio. Hi subito
 hortari ad pacem, quod iam diu non fecissent, nō sine causa
 uidebantur. Accessit consul hortator. At quis cōsul? si pru-
 dentiam querimus, qui minime falli posset: si uirtutem, qui
 nullam pacem probaret, nisi Antonio cedente, atq; uictō: si
 magnitudinem animi, qui praeferret mortem seruituti. Vos
 autem, P. C. non tam immemores uestrorum grauissimorū
 decretorum uidebamini, quam, spe allata deditionis, quam
 amici pacem appellare mallent, de imponendis, non de ac-
 cipiendis legibus cogitare. Auxerat autem meam quidē
 spem, credo item uestram, quod domum Antonij afflictam
 maestitia audiebam, lamentari uxorem, hic etiam fautores
 Antonij, quorum in uultu habitant oculi mei, tristiores ui-
 debam. Quod si non ita est, cur a Pifone, & a Caleno po-
 tissimum, cur hoc tempore, cur tam improviso, cur tam
 repente pacis est facta mentio? Negat Pifō se scire, negat
 audisse quidquam: negat Calenus rem ullam nouam alla-
 tam esse. atque id nunc negant, posteaquam nos pacifica-
 toria legatione implicatos putant. Quid ergo opus est
 nouo consilio, si in re nihil omnino noui est? Decepti,
 decepti, inquam, sumus, patres conscripti: Antonij est
 acta causa ab amicis eius, non publica. quod uidebam
 equidem, sed quasi per caliginem, perstrinxerat aciem
 animi Bruti salus. Quod si in bello dari uicarij solerent,
 libenter me, ut D. Brutus emitteretur, pro illo includi
 paterer. Atqui hac uoce. Q. Fufij capti sumus, Ne si a
 Mutina quidem recesserit, audiemus Antonium: ne si in
 senatus potestate futurum se dixerit? durum uidebatur
 itaq; fracti sumus: cessimus. recedit igitur a Mutina? ne-
 scio

scio:paret senatu:credo,inquit Calenus, sed ita, ut teneat dignitatem. Valde vobis hercule laborandum est, P. C. ut uestram dignitatem amittatis, quæ maxima est: Antonij, quæ neq; est ulla, neq; esse potest, retineatis: ut eam per uos recuperet, quam per se perdidit. Si iacês id nobiscum ageret, audirem fortasse: quãquam (sed hoc malo dicere) audirem. Stanti resistendum est, aut concedenda una cum dignitate libertas. At non est integrum: constituta legatio est. Quid autem integrum non est sapienti, quod restitui potest? cuiusuis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseuerare. Posteriores enim cogitationes (ut aiunt) sapientiores solent esse. discussa est illa caligo, quam paulo ante dixit: diluxit: patet: uidemus omnia: neque per nos solum, sed admonemur a nostris. Attēdistis paulo ante prestantissimi uiri quæ esset oratio. Mestam, inquit, domum offendi, coniugem, liberos. admirabantur boni uiri, accusabant amici, quod spe pacis legationem suscepissem. nec mirū, P. Seruil: tuis enim uerissimis, grauissimisque sententijs omni est non dico dignitate, sed etiam spe salutis spoliatus Antonius. ad eum ire te legatum quis nō miraretur? de me experior: cuius idem consilium, quod tuum sentio quam reprehendatur. nos reprehendimur solum: quid uir fortissimus Pansa sine causa tā accurate paulo ante locutus est tam diu? quid egit, nisi uti falsam a se suspicionem depelleret? unde autem est ista suspicio? ex pacis patrocinio repentino, quod subito suscepit, eodem captus errore, quo nos. Quod si est erratum, P. C. spe falsa, atque fallaci, redeamus in uiam. optimus est portus penitenti mutatio consilij. Quid enim per deos immortales potest reipublicæ prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si uiam obfutura est? obfutura? quid si iam obfuit? an uos

acerrimam illam, & fortissimam populi Romani libertatis recuperanda cupiditatem, non inminuta, ac debilitata putatis, legatione pacis audita? quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? an non putamus fore, ut eos poeniteat professos esse, & praesertim tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos & animis & corporibus in salutem reip. contulerunt? Quemadmodum uestrum consilium hoc Capua probabit, quae temporibus his Roma altera est? illa impios ciues indicauit, eiecit, exclusit: illi, illi, inquam, ubi fortissima tonanti, e manibus est ereptus Antonius. Quid legionum nostrarum neruos nomine his consilijs incidimus? quis est enim, qui ad bellum inflammato animo futurus

P. 241. sit spe pacis oblata? ipsa illa Martia, caelestis, & diuina legio, hoc nuntio languescet, & mollietur, atque illud pulcherrimum nomen Martium amittet: excidit gladius, fluet arma de manibus. Senatum enim secuta, non arbitrabitur se grauiore odio debere esse in Antonium, quam senatum. Pudet huius legionis, pudet quarta, quae pari uirtute nostram auctoritatem probans, non ut consulem, & imperatorem suum, sed ut hostem, & oppugnatorem patriae reliquit Antonium: pudet optimi exercitus, qui coniunctus est ex duobus: qui iam lustratus, qui profectus ad Mutinam est: qui, si pacis, id est, timoris nostri nomen audierit, ue non referat pedem, insistet certe. quis enim reuocante, & receptui canente senatu, properet d'micare? Quid autem hoc iniustius, quam nos, inscientibus ijs, qui bellum gerunt, de pace decerneret? nec solum inscientibus, sed etiam inuitis? An uos A. Hircaium praclarissimum consulem, C. Caesarem deorum beneficio natum ad haec tempora, quorum epi-

stolas spem uictoriae declarantes in manu teneo, pacem uelle
 censetur uincere illi expetunt: pacisque dulcissimi, & pul-
 cherrimum nomen, non passione, sed uictoria concupie-
 runt? Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audi-
 turam putatis? illa enim huius belli propulsandi, admini-
 strandi, sustinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nu-
 tum ipsum, ne dicam imperium, secuta, armis, uiris, pecu-
 nia belli principia formauit: eadem crudelitati M. Antonij
 suum totum corpus obiecit: exhauritur, uasatur, uritur:
 omneis aequo animo belli patitur iniurias, dummodo repel-
 lat periculum seruauit. Et, ut omnem reliquas partes
 Galliae (nam sunt omnes pares) Patuini alios excluserunt,
 alios eiecerunt missos ab Antonio: pecunia, militibus, &
 quod maxime deerat, armis nostros duces adiuerunt. P. B. B.
 cerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant, &
 propter multorum amorum iniurias alienati a senatu pu-
 tabantur. quos minime mirum est, communicata cum his
 rep. fideles esse, qui etiam expertes eius, fidem suam semper
 praestiterunt. His igitur omnibus uictoriae sperantibus pa-
 cis nomen afferemus, id est, desperationem uictoriae? Quid
 sine potest quidem ulla esse pax? quae enim est condicio pa-
 cis in qua ei, cui quo pacem facias, nihil concedi potest? Mul-
 tis rebus a nobis est inuitatus ad pacem Antonius: bellum ta-
 men maluit: missi legati, repugnante me: sed tamen missi de-
 lata mandata: non paruit, denunciatum est, ne Brutum ob-
 sideret, a Mutina discederet: oppugnauit etiam uehemen-
 tius. & ad eum legatos de pace mittimus, qui pacis nuntios
 repudiauit: uerecundior enim coram putamus in postulan-
 do fore, quam fuerit tum, cum misit mandata ad senatum?
 Atqui tum ea petebat, quae uidebantur improba omnino,
 sed tamen aliquo modo posse concedi. nondum erat uestris
 tam

tā grauibus, tāq; multis iudiciis, ignominisq; cōcisus: nūc
 ea pctit, quæ dare nullo modo possimus, nisi prius uolumus
 nos bello uictos cōstiteri. Senatuscōsulta falsare lata ab eo iu-
 dicauimus: nūc ea uera possumus iudicare? Leges statuimus
 per uim, & cōtra auspiciā latas, iisq; nec populū, nec ple-
 bē teneri: num eas restitui posse censetis? Sextertii septies
 millies auertisse Antonii pecuniæ publicæ iudicauistis: nūc
 fraude poterit carere peculatus: Immunitates ab eo, ciuita-
 tes, sacerdotia, regna uenerūt: nūc figentur rursus ea tabu-
 læ, quas uos decretis uestris refixistis? Quid, si ea, quæ de-
 creuimus, obruere, nūc etiam memoriā rerū delere possu-
 mus? quando obliuiscetur ulla posteritas, cuius scelere in
 hac uestitus fœditate fuerimus: ut cēturionū legionū Mar-
 tiæ Brundisij profusus sanguis eluatur, nūc elui prædicatio
 crudelitatis poterit: ut media prætereā, quæ uetustas tollet
 operū circa Mutinam tætra monumenta, sceleris indicia,
 latrocinijq; uestigia? Huic igitur importuno, atq; impuro
 paricidæ, quid habemus per deos immortales, quod remit-
 tamus? an Galliā ultimā, & exercitum? quid est aliud, non
 pacem facere, sed differre bellū? nec solū prorogare bellū,
 sed concedere etiā uictoriā? An ille nō uicerit, quacumq;
 condicione in hanc urbē cū suis uenerit? Armis nunc om-
 nia tenemus: auctoritate ualemus plurimū: absunt tot per-
 diti ciues, nefariū secuti ducē: tamē eorū ora, sermones, qui
 ex eo numero in urbe relictī sunt, ferre non possumus: quid
 censetis, cū tot uno tempore irruerint? nos arma posueri-
 mus, illi non posuerint? nonne nos nostris consiliis uictos in
 perpetuū fore? Ponite ante oculos M. Antonii cōsularem
 sperantē cōsulatum: Lucii adiungite: supplete ceteros, neq;
 nostri ordinis solum, honores, & imperia meditates: nolite
 ne Tirones quidē, Numisios, & Mustelas, Saras, Sciosue

cōtemnere. cum his facta pax, nō erit pax, sed pactio seruitutis. L. Pisonis amplissimi uiri præclara uox à te nō solum in hoc ordine, Pansa, sed etiā in concione iure laudata est. Excessurū se ex Ital. a dixit, deos penates, & sedes patrias relicturum, si (quod dij omen auerterint) rēpublicā oppressisset Antonius. Quæro igitur à te, L. Pisonne oppressam rēp. putes, si tot, tam impij, tam audaces, tam facinorosi recepti sint? quos nondum tantis paricidijs contaminatos uix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos, tolerabiles censet ciuitati fore? Aut isto tuo mihi crede consilio erit utendū, ut cedamus, abeamus, uitā inopē, & uogā persequamur: aut ceruices latronibus danda, atq; in patria cadendū est. Vbi sunt, C. Pansa, illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ, quibus à te excitatus senatus, inflammatus populus Rom. non solū audiuit, sed etiam didicit, nihil esse homini Romano fœdus seruitute? Idcirco nescia sumus, arma cepimus, iuuentutem omnē ex tota Italia excussimus, ut de exercitu florentissimo, & maximo legati ad pacē mitterentur? si accipiendā, cur nō rogamur? si postulandā, quid timeamus? in hac ego legatione simus: aut ad id consilium admiscear, in quo, ne, si dissenserō quidē à ceteris, sciturus populus Rom. sit? Ita fiet, ut, si quid remissum, aut cōcessū sit, meo semper periculo peccet Antonius, cum ei peccandi potestas, à me concessa uideatur. Quod si habenda cum Antonio latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacē conciliandam minime fuit diligenda. ego numquā legatos mittendos censui: ego ante legatorum reditum ausus sum dicere, pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandā. ego princeps sagorū, ego semper illū hostē appellauī, cum alij aduersarium: semper hoc bellum, cum alij tumultum. nec hæc in senatu solū eadem

dem ad populum semper egi. nec solum in ipsum, sed in eius socios facinorum & ministros, & presentes, & eos, qui una sunt, in totam deniq; M. Antonij domum sum semper inuectus. Itaq; ut alacres, & leti, spe pacis oblata, inter se impij ciues, quasi uicissent, gratulabantur; sic me iniquum eierabant, de me querebantur. diffidebant etiam Servilio: meminerant eius sententiis confixu Antonium: L. Cesarem fortem quidem illum, & constatem senatorem, auunculum tamen, Calenum procuratorē, Tisicorem familiarem, te ipsum, Pansa, uehementissimum, & fortissimum cōsulem, factam iam putant leniorē: non quod ita sit, aut esse possit, sed mentio à te facta pacis, suspiciōē multis attulit immutat e uolūtatis. Inter has personas me interiectum amici Antonij moleste ferunt: quibus gerendus mos est, quoniam semel liberales esse cœpimus. proficiscantur legasi optimis omnibus: sed ij proficiscantur, in quibus nō offendatur Antonius. Quod si de Antonio non laboratis, mihi certe, P. C. consilere debetis, parcite oculis saltem meis, & aliquā ueniam iusto dolori date. Quo enim aspectu uidere potero (mitto hostem patriæ: ex quo mihi odium in illum commune uobiscum est) quomodo aspiciam mihi uni crudelissimum hostem, ut declarant de eius acerbissima conciones? Adeone me ferreum putatis, ut cum eo congregi, aut illum aspicere possim? qui nuper, cum in concione donaret eos, qui ei de paricidis audacissimi uidebantur, mea bona donare se dixit Petissio Urbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonij ad hæc Antoniana saxa proiectus est? An L. Antonium aspiciere potero, cuius ego crudelitatem effugere non potuissim, nisi me manibus, & portis, & studio municipij mei defendissem? Atq; idē hic myrmillo Asiaticus, latro Italia, collega Lentonis, & Nucule, cū Aquilæ primipili numos

aureos daret, de meis bonis se dare dixit, si enim de suis dixisset, ne Aquilam quidē ipsum crediturum putavit. Nō ferēt, inquā, oculi Saxā, Cafonem, nō duos prætore, non tribunū plebis, non duos designatos tribunos, non Bestiam, nō Trebellium, nō T. Plancum. nō possum animo æquo videre tot, tam importunos, & sceleratos hostes. nec id fit fastidio meo, si d caritate reipublicæ. Sed uincam animū, uicibiq; imperabo: dolore iustissimū si non potero frāgere, occultabo. P. B.
 quidē uitæ censestisne, P. C. habēdam mihi aliquā esse rationē? quæ mihi quidē minime cara est, præsertim cū Dolabella fecerit, ut optanda mors esset, modo sine cruciatu, atque tormentis: uobis tamen, & populo Rom. uilis esse spiritus meus non debet. is enim sum, nisi me forte fallo, qui u'gilis, curis, sententijs, periculis etiam, quæ plurima ac h' propter acerbissimū omnium in me odiū, impiorum, persecerim, ut nō obstarent reipublicæ, ne quid arrogantius uidear dicere. Quod cū ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis? h'c cum essem in urbe, ac domi, tamen multa sepe tentata sunt, ubi me non solum amicorū fidelitas, sed etiā uaiuerse ciuitatis oculi custodiunt. quid censestis, cū iter ingressus ero, longū præsertim? nulla s'ne insidias* extimescēdas? Tres uia sunt ad Mutinā, quo festinat animus, ut quā primū illud pignus libertatis populi Ro. D. Brutum aspiciere possim: cuius in complexu libenter extremum uitæ spiritū ediderim, cū omnes actiones horum mēs sum, omnis sententia meæ peruenierint ad e. m, qui mihi fuit propositus, exitum, tres ergo, ut dixi, uia: a supero mari, Flamini: ab infero, Aureliæ: media, Cassiæ. Nūc, queso attēdite, nō aberret a cōiectura suspicio periculi mei. Hætruria d'scribitur Cassiæ, scimusne igitur, Pansa, quibus nunc in locis sit Lentonis Cesenij septentrionalis auctoritas? nobiscum nec animo
 cer

certe est, nec corpore. si autē aut domi est, aut non lōge a domo, certe in Hetruria est, id est, in uia. Quis igitur mihi præstat, Lentonē uno capite esse contentū. Dic mihi prætere-
rea, Pāsā, Vētidius ubi sit? cui sui semper amicus, antequā ille reip. bonisque omnibus tam aperte est factus inimicus.

P. 244. Possū Cassiam uitare: tenere Flaminiā. quid? si Anconā, ut dicitur, Ventidius uenerit, poterone Arminum tuto accedere? Restat Aurelia, hic quidē etiā præsidia habeo. possessiones enim sunt P. Clodij: tota familia occurret: hospitio inuitabit propter familiaritatē notissimā. Hisce ego me uijs committam, qui Terminalibus nuper in suburbium, ut eodē die reuertere, ire non sum ausus? domesticis me parietibus uix tueor sine amicorū custodijs. Itaq; in urbe maneo: si sic licebit, manebo. hæc mea sedes est, hæc uigilia, hæc custodia, hoc præsidium statuum. teneāt alij castra, regna, res bellicas, * oderint hostē nos, ut dicimus, semperq; fecimus, urbem, & res urbanas uobiscū pariter tuebimur. Neq; uero recusō munus hoc: quāquā populū Ro. uideo pro me recusare, nemo me minus timidus, nemo cautior. res declarat uigessimus annus est, cum omnes scelerati me unum petunt itaq; ipsi, ne dicam mihi, reip. pœnas dederunt: me saluum. adhuc respubl. conseruauit sibi. Timide hoc dicam: scio enim quiduis homini accidere posse. uerum tamen semel * circumseptus lectis ualentissimorum hominum uiribus ceci li sciēs, ut honestissime surgere possem. Possūne igitur satis uideri cautus, satis prouidus, si me huic itineri tā infesto, tāq; periculoso cōmiserō? gloriā in morte debēt ij, qui in rep. uersantur, nō culpæ reprehensionē, & stultitiæ uituperationem relinquere. Quis bonus nō luget mortē Trebonij? quis nō dolet interitū talis & cuius, & uiri? At sunt, qui dicāt: (dure illi quidē, sed tamē dicūt) minus dolēdū, quod ab

homine impuro, nefarioq; non cauerit. etenim, qui matorū
 custodem se profiteatur, eum sapientes sui primum capitis
 aiunt custodē esse oportere. Cum septus sis legibus, & iudi- P. B.
 ciorum metu, non sunt omnia timenda, neq; ad omnes insi-
 dias praesidia querenda. quis enim audeat luci, quis in mi-
 litari uia, quis bene comitatum, quis illustrē aggredi? Hæc
 neq; hoc tēpore, neq; in me ualent. non modo enim pœnam
 non extimescet, qui mihi uim attulerit, sed etiam gloriam
 sperabit a latronum gregibus, & prœmia. Hæc ego in urbe
 prœuideo: facilis est circumspēctus, unde exeam, quo pro-
 grediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit. num idē in
 Apennini ramūibus facere potero? in quibus etiāsi non
 erant insidias, quæ facillime esse poterūt, animus tamē erit
 sollicitus, ut nihil possit de officijs legationis attendere. Sed
 effugi insidias: perrupi Apenninum. nēpe in Antonij con-
 gressum, colloquiūq; ueniedū est. quinam locus capietur? si
 extra castra, ceteri uiderint: ego mortem actutum futurā
 puto. noui hominis furorem, noui effrenatam uolentiam.
 Cuius acerbitas morum, immanitasq; naturæ, ne uino qui-
 dem permista tēperari solet. hic ira, demētiaq; inflāmatus,
 adhibito fratre Lucio, tærrima bellua, nūquam profecto
 a me sacrilegas manus, atq; impias abstinebit. Memini col-
 loquia & cum acerrimis hostibus, & cum grauissime dis-
 sentientibus ciuibus. Cn. Pompeius Sexti filius consul, me
 præsente, cum essem tiro in eius exercitu, cū P. Vellio Ca-
 tone duce Marforum inter bina castra collocutus est. quo
 quidem memini Sex. Pompeiū fratrem cōsulis ad colloquiū
 ipsum Roma uenire, doctū uirum, atq; sapientē: quem Cato
 cum salutasset, Quem te appellem? inquit. at ille, Volūtate
 hostitem, necessitate hostem. Erat in illo colloquio æquitas:
 nullus timor, nulla suberat suspicio: med'ocre etiam odiū

P. 245.

non enim, ut eriperent nobis socij civitatem, sed ut in eam reciperentur, petebant. Sylla cum Scipione inter Cales, & Teanū, cum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragijs populi, & de iure civitatis, legis inter se condiciones contulerunt. non tenuit omnino colloquium illud fidem: a vi tamen, periculoq; absuit. Possumusne igitur in Antonij latrocinio eque esse ut hi? non possumus: aut, si ceteri possunt, me posse d'ffido. Quod si non extra castra congregiemur, quæ ad colloquium castra sumētur? in nostra ille nūquam ut nict. multo minus nos in illius, reliquum est, ut & accipiātur & remittātur postulata per literas, ergo erimus in castris: mea ad omnia postulata una sententia. quā cum hic, vobis audientibus, dixerō, isse, & redisse me putatote. Legationem confucero: omnia ad senatum mea sententia rejiciam, quacūq; postulabit Antonius, neq; enim licet aliter, neq; permissam est nobis ab hoc ordine, ut, bellis cōfessis, decem legatis permitti solet more maiorum: neq; ulla omnino a senatu mandata accepimus. quæ cum agam in consilio, nōnullis, ut arbitror, repugnantibus, nonne metueam est, ne imperita militū multitudo per me pacē disineri putet? Facite, hoc meum consiliū, legionis novas nō improbare: nā Martiam, & quartam nihil præter dignitatē, & decus cōprobaturas esse certo scio. quid? veteranos non vere mur? nam timeri ne se ipsi quidē volunt, sed quoniam modo accipiet severitatem meam? Multa enim falsa de me audierūt: multa ad eos improbi detulerūt, quorum commodā, ut vos optimi testes estis, semper sententia, auctoritate, oratione firmavi: sed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. Sunt autem fortes illi quidem, sed propter memoriā rerum, quas gesserunt pro populi Rom. libertate, & dignitate

P. B.

zate reip. nimis feroces, & ad suam vim omnia nostra consilia reuocantes. Horum ego cogitationem non uereor, impetum perimesto. Hac quoque pericula tanta si effugero, satissime tutum reditū putatis fore? Cum enim & uestra auelloritate, & meo me more defendero, & meam fidē reip. constantiamq; trastero, tum erunt mihi non hi solum, qui me oderunt, sed illi etiam, qui inuidēt, extimescendi. Custodiatur igitur mea uita reipub. eaq; quoad uel dignitas, uel natura patietur, patrie referuetur: mors aut necessitatem habeat sati: aut, si ante oppetenda est, oppetatur cū gloria. Hac cum ita sint, etsi hanc legationē resp. ut leuissime dicam, non desiderat; amen, si tuo licebit ire, proficiscar. omnino, P. C. totum huiusce rei consiliū non periculo meo, sed utilitate reip. metiar. de qua mihi quoniam liberum est speratum, multum etiam, atq; etiam considerandū puto: idq; fortissimum faciendū, quod maxime interesse reip. iudicauero.



IN M. ANTONIUM P. 246.

PHILIPPICA XIII.

ORATIO LV.



Principio huius belli, P. C. quod cum impiis ciuibus, consceleratisq; suscepimus, timui ne condicio insidiosa pacis, libertatis recuperanda studia restingueret. dulce enim etiam nomen est pacis: res uero ipsa cum incunda, tum salutaris. Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere potest, quem discordia, quem cades cinum, quem bellum ciuile delet: eumq; ex numero homi-